

Dissertatio medica inauguralis de urticis ... / [Johann Melchior Drechssler].

Contributors

Drechssler, Johann Melchior, 1682-
Slevogt, Johann Adrian, 1653-1726.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Literis Gollnerianis, [1707]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jema5dek>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

28
L. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

DE
V R T I C I S

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

VVILHELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE JULIACI CLIVIAE AC MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE e. r.

PRÆSIDE

JO. HADRIANO SLEVOGTIO

HEREDITARIO in Ober-Rohla

MED. D. AN. CHIR. ET BOT. P. P.

IDEMQVE MED. DVC. PROV.

PATRONO PRAECEPTORE

AC PROMOTORE SVO

GRATA MENTIS SVBMISSIONE VENERANDO

PRO LICENTIA

SVM MOS IN MEDICINA HONORES

ET PRIVILEGIA

RITE CAPESSENDI

PVBlicæ ERVDITORVM DISQVISITIONI

TRADIT

JOANNES MELCHIOR Dreyßler/

WANSLEBIO-MAGDEBVRGENSIS

IN AVDITORIO MAJORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

D. MAII ANNO MDCCVII.

—————
J E N Æ

LITERIS GOLLNERIANIS.

EXPLICATIO FIGVRARVM:

- A Litera notat Calycem floris urticæ quadrifolium.
 a Calycem quinquefol. urtic. Canadens.
 B Antheram integram, ex capsulis reniformibus, pulvillo flavo plenis, constructam.
 C easdem capsulas, in quatuor foliola divisas.
 d Embryonem futuri fructus, cum crista in vertice.
 D Capsulam seminis urticæ vulgaris racemosæ clausam.
 E eandem apertam bivalvem cum semine.
 F Semen urticæ racemosæ.
 G Capsulam seminis urticæ minoris bicuspidatam.
 H Pilam urticæ Romanæ.
 I Capsulam seminal. clausam, sec. Tournefort.
 K eandem apertam.
 L Veriorem iconem capsulæ clausæ, ut nobis nudo & armato oculo apparuit.
 M eandem apertam cum semine.
 N Semen urticæ Romanæ.
 O Semen angulosum urtic. Canadens.
 P Receptaculum ejus, a Tournefortio volsellæ comparatum.
 O Spinam seu aculeum urticæ recentem, sacculo succifero insidentem.
 P eandem spinam, in cujus apice guttula limpidi laticis expressi hæret.
 Q Spinam aridam exsuccamque.
 R ——— in medio fractam ut cavitas ejus appareat, cum notis succi subsidentis in sacculo.
 o & p duas spinas, ut a Leeuwenhoek pinguntur, curvas.
 S. T. V. figuras, in lixivio urticæ leviter congelato apparentes.
 X figura in decocto urticæ, congelato, apparens.
 1, 2, Figuras, in aqua destillata Melissæ congelascente; 3, 4, in aqua Betonice;
 5, 6, in aqua salviæ; 7, 8, in aqua hysopi; 9, in aqua tusfilaginis.





L. D. B. V.
§ I.



Culpanitur equidem, post Theophrasti Eresii, & Dioscoridis Anazarbei tempora *Rei botanica* curam habentes, meritisime a recentioribus, quod per tam longum temporis spatium, usque ad duo proxime elapsa secula, præter confusam, & plerumque ex veri nominis ignoratione ortam synonymorum multiplicationem, parum vel nihil ad faciliorem, diffusissimum ejusmodi studium methodice tractandi, rationem contribuerint; quin potius ob neglectos genuinos & unicuique plantæ impressos characteres, quorum ope singulas species ad sua genera referre potuissent, sæpe diversissimas herbas ad eandem classem cöegerint, rursusque ad unam familiam pertinentes, longissime a se invicem disjecerint. Sed excusantur quodammodo per vulgatum illud: *Omne principium grave, inventisque aliorum aliquid addere, non aequè arduum esse*: & revera quoque laude digni sunt, quod, melioribus adminiculis destituti, memoriam, circa tot *singularia* occupatam, adjuturi, plurimarum plantarum appellationes modo ab *externo earum habitu & figura*, aliisque sensibus hominum expositis *qualitatibus*, modo a *juvandi nocendique facultate*, modo a *natali loco & germinandi florendique tempore* derivare laborarint.

§ II. Specimen utilitatis istiusmodi denominationis hæc ipsa herba, cujus evolutioni præsentis paginas destinavimus, offert.

offert. Hanc enim, qui Latine *URTICAM* & German. *Brennessel* vocant, ab ardore & pruriente rubedine, quam instar ignis manibus, blandissime eam attingentibus imprimit, ita appellari fatentur. Et græcæ quoque voces *κνίδη* & *κνήδη*, eandem herbam significantes, prout a *κνίζειν*, *vellicare* pungere, & *κνιδάειν*, *mordere*, originem habent, ipsumque German. vocabulum *Nessel*, si, sec. Chr. Langii Misc. cur. c. 34, de morbill. p. 126, a *νύσσω* *pungo*, *percutio*, derivatur, modum agendi *mechanicum* ostendunt; sicut *Cnidiorum* pugnacissimam gentem, mordacesque *Cnidias* aves, ab Aristotele, Athenæo & Aldrovando descriptas, a moribus sua nomina accepisse, probabile videtur.

§ III. A Dioscoride vocatur *ἀκαλύφη*, ab aliis *ἀκαλήφη*; secundum Rajum quidem, *Hist. Pl. Lib. 4, S. 1, Part. 1, c. 3, p. 159*, ex Athenæo, *παρὰ τὸ μὴ ἔχειν καλὴν ἀφήν*, *quod injucundo sit tactu*: at cum *α* in voce *ἀκαλος* neutiquam *privandi* aut *contrarium* significandi facultate polleat, hinc potius *ἀκαλήφης* appellatio hoc loco *ἀντίφρασι* involvit, quatenus hæc herba nihil minus, quam *ἀκάλη τῆ ἀφῆ*, *placida & mitis tactui* existit; ut per analogiam, ab ejus uredine defumtam, etiam pisces nonn illi, vel si maris Zoophyta marina, *Urtica* salutentur; quia manibus piscatorum sese per informis sui corporis villos, quibus alias faxis tenaciter adhærent, applicantes, eas molestissimo ardore afficiunt, nisi oleo prius unctæ fuerint: ut apud Aristotelem, Plinium, Cardanum, Gesnerum, Aldrovandum & Rondeletium legere datur. De aqua vero admodum refrigerante inde destillanda, & oleo singularum virtutum, videatur D. D. Ludov. Hannemanus, Eph. G. D. 3, ann. 2, obs. 137.

§ IV. Cum, verbis Matthioli, Comm. in Dioscor. lib. 4, c. 89, p. 789, *Urtica adeo vulgaris sit notitia, ut non modo interdum, sed etiam noctu in tenebris solo tactu ab omnibus facillime cognoscatur*, hinc Veteres parcissimi fuerunt in externa ejus facie delineanda, operamque suam magis in virium descriptione collocarunt.

runt. Quos & nos imitabimur, modo prius *genus ejus & notas* quasdam *diagnosticas*, ceu insignia familiae indicaverimus. Postquam enim hodie Botanica ingentem saltum ultra antiquos limites fecit, non licet amplius nominibus ludere, & pro lubitu atque autoritate Docentium ea vegetabilibus imponere, ut v. g. herba, quam *Galegam* vulgo vocant, aliis *Galea*, *Gralega*, *Regalea*, *Regallicum*, *Castranaca*, *Caprago*, *Capragina*, *Daneta*, *Ruta capraria*, *gallica*, *Herba Galeni*, *Tbarina*, *Martanica*, *Nesa*, *Saracenica*, *Taurina*, *Fœnum gracum sylvestre*, *Onobrychis* &c. audiat: aut *Telepbium Gracorum* a Brunfelsio *Scropbularia media*, a Matthiolo *Fabaria*, a Lobelio *Faba inversa*, a Dodonæo *Crassula*, a Cordo *Acetabulum*, a Columna *Colyledon*, ab aliis aliter appelletur: nec sufficit circa radices & folia, aliasque § I recitatas circumstantias, in determinando eorum genere, speciebusque constituendis subsistere; sed decet potius secundum methodum vegetabilia dignoscendi, a Gesnero *inchoatam*, hinc a Cæsalpino & Fabio Columna *approbatam*, postmodum a Rajo, Moriffone, Hermanno, Ammanno aliisque *magis dilucidatam*, & tandem a celeberrimis viris, Rivino Lipsiensi ingentibus sumtibus, iisque propriis, a Tournefortio Aquisfextiensi autem impensis Regis Galliae, ad summum, quo jam splendet, claritatis fastigium, deductam, herbas potissimum per *florem & fructum a se invicem*, aliisque eorum *nomen gerentibus*, aut *in uno tertio cum ipsis convenientibus* distinguere.

§ V. Quod ipsum antequam circa *urticas* etiam molimur, & ad genuinum earum characterem constituendum progredimur, opus est, remoras nonnullas, a præstantissimis Botanicis, Rajo atque Tournefortio, legentibus objectas, e via tollere. Est enim, nescio quo fato factum, ut, contra oculorum fidem, unanimiter quaslibet urticas inter herbas, *quarum fructus*, secundum Rajum, l. c. p. 156, *a floribus totis plantis distant*, sec. Tournefortium autem, quæ *flore apetalæ, aliæ in eod. genere floribus, aliæ fructibus plerumque donantur*, retulerint; quo pacto, si ex hypo-

thesi de sexu plantarum, secundum Aristotelis & Theophrasti placita, post Grevvium atque Rajum, a D.D. Rudolpho Jacobo Camerario, Prof. Tub. celeberrimo, in Epistola ad celeb. D.D. Valentini, comta oratione & speciosis argumentis explicata, loquendum esset, omnes urticarum species tantum in *mares* & *fæminas* distingverentur: cum tamen maximam earum partem *hermaphroditos* esse, autopsia doceat.

§ VI. Quæ ut rectius percipiantur, sciendum (1) Rajum 4 tantum urticarum species nosse, duas *racemosas, totidemque piluliferas*, hisque l. c. arborem urentem Brasiliensem, Pino dictam, ex Marggravio, & tres frutices urticiformes, Schorigenàm, Batti Schorigenàm, atque Ana-Schorigenàm ex horto malabarico præmittere: Tournefortium autem, missis hisce tribus peregrinis, *novem* urticarum species tali ordine recensere, ut prima sit *Urtica urens maxima* CB; secunda *urens maxima caule rubente*; tertia *vulgaris minime urens* Menzelii; quarta *urens minor*; quinta *urens pilulas ferens* Dioscor. sexta, *pilulifera altera, parietaria folio*; septima *maxima racemosa Canadensis Hort. Reg. Par.* octava *Canadensis myrrhidis fol.*; nona *racemosa Americana, amplo coryli folio Plumerii.*

(2) per *flores* intelligi h. l. *julos*, sive 4, 5, vel 6 *nucamenta*, ad singula foliorum superiorum paria exeuntia, quæ numerosos *calyces quadrifolios A*, (vid. figuras in Tabula) in nonnullis *quinquefolios a*, ex viridi flavescentes, teretique axi alligatos, constituere videmus; e quorum sinu *stylus quadrangularis* eminet, absque petalis, 4 vel 5 staminibus stipatus, quæ in calyce adhuc clauso incurvata jacentia profiliunt, quamprimum hic aperitur, quasi ab elatere quodam mota, disperguntque ex antheris suis, sive apicibus B, flavum pollinem in poros & *cristatos vertices embryonum d*, ceu in futurorum fructuum rudimenta, ut hæc ab illo, tanquam ova muliebria ab aura seminali masculina, fœcundentur, & aptitudinem novas plantas generandi accipiant. Repræ-

sentant

sentant antheræ staminum allegatæ B duas capsulas reniformes, quæ secundum longitudinem diffilientes, post excussum pulvisculum, apertæ manent, & libellum quatuor foliorum exhibent C, obscure a Sculptore delineatum.

(3) Ex 9 speciebus Tournefortii tres tantum priores (forsan etiam tot ultimas exoticas) ita comparatas esse, ut §. præced. citatas notas mereantur, & unius ejusdemque speciei individua, alia in racemis suis non nisi flores gerant, adeoque *masculini generis* existant; alia, fructus solummodo alendo absque floribus, *fœminarum* vices sustineant: Sequentem autem quartam, quintam atque sextam, instar *androgynorum*, in eadem planta florentes julos juxta petiolos fructiferos protrudant.

§ VII. Ex præmissis hisce haud erit arduum Urticas definire, quod sint *planta, florem imperfectum racemosum sine semine, & semen acuminatum F & N, vel angulosum O, sine flore in capsula bivalvi, figuram cordis D, vel cunei & corni inversi L, vel vovsella 4 exhibente, asservatum, proferentes.* Qui character, quamvis valde generalis, singulisque speciebus absque limitatione minus adæquatus sit, facile tamen unicuique earum per adjunctas particulares notas applicari potest, satisfacitque nobis hac vice ideo, quia per ipsum Urticas ab iis herbis, quæ earum nomen injuste hæcenus usurparunt, separare licet, ut in posterum non nisi *Melissarum, Lamiorum, Galeopsidumque* titulo veniant; quæ post florem utrinque labiatum, in calyce tubuloso, & circa marginem multifido, 4 nuda semina spectanda alunt, & hæcenus vulgo *urtica sylvestres, berculea, & aculeata, fatua* item, & *mortua, Wilde, Taube oder Todte Nessel* fuerunt salutata.

§ VIII. Cum vero novem istas verarum species non uno habitu incedere, ex allatis constet, opus erit *Speciales characteres* constructuris, eas, partim ad *florem sexumque* habito respectu, secundum § præcedentis num. 3, in *mares, fœminas, hermaphroditosque*; partim vero, ob *situm fructuum*, in *racemosas* atque *pilu-*

liferas distingvere; cum ad hasce notas essentielles indigenæ pariter ac peregrinæ facile reduci, harumque beneficio, si simul calycum, seminumque & capsularum figura in considerationem venerit, *omnes urtica quatuor classibus includi* queant; ut ex singularum explicatione apparebit.

§ IX. In *prima classe* eminent duæ species racemosæ, potissimum per colorem herbæ *viridem*, vel *obscure rubrum* dignoscendæ. Has sub uno titulo, post Matthiolum, J. Bauhinum, Chabræum atque Rajum, illi comprehendunt, qui coloris diversitatem tantum a loci natalis situ, solis radiis plus minus exposito, derivant: cum tamen a Tabernæmontano non solum distinctæ earum figuræ p. 920 & 921, exhibeantur, sed etiam a Tournefortio, ex C. Bauhini Pinacis p. 232, prior absolute *Urtica urens maxima*, Germanis *Weisse große brand- oder donner-Neßel* altera vero *urens maxima caule rubente*, *rothe / oder wilde Neßel* salutetur. Prior, quam domesticam vocant, nascitur juxta sepes & vias, assurgitque ex pingviori solo ad tres cubitos, radice fibrosa, & per hyemen durante, in terra late sese expandente. In hujus foliorum dorso observavit Christ. Ioannes Langius, Oper. theor. pract. Part. 3. p. 438, ovula lutei coloris, in vermiculos, & postmodum in scarabæos abeuntia, quos p. 439 *Urtica-santharos* vocat. Posterior humilior existens, nonnullis *sylvestris* audit, facie tristiori & exsucca quasi, foliisque angustioribus & durioribus, ast mitius longe urentibus prædita est.

§ X. Ex utriusque geniculis superioribus erumpunt juxta singula foliorum paria ordinarie 4, sæpe 5 vel 6 racemuli, tres, quatuorve pollices longi, iique in uno individuo *tantum flosculis*, in altero *non nisi fructibus* onusti. Floriferi decidunt non integri instar julorum juglandis & coryli, sed styli amittunt tantum flosculos, fructiferis autem adhærent semina F minuta, depressa, oblonga, cordiformia magis, quam ovalia, & quidem in capsulis membranaceis bivalvibus D, cordis inversi, vel ferri in hasta figuram habentibus.

§ XI,

§ XI. Hæc per omnia similis est § 6, tertio loco nominata *Urtica vulgaris minime urens*, a Menzelio, in Pugillo rarior. plantarum, Indici multilingvi connexo, descripta, ut, nisi manum admoveris, eam a prioribus vix distinxeris. Qui potentiam urendi inter notas essentielles urticarum numerant, negant quidem hanc plantam peculiarem inter eas speciem constituere, eamque pro *spuria* tantum, & a naturali indole degenerante habentes, ad quotidie occurrentes naturæ aberrationes inter vegetabilia provocant: cum e. g. viola matronalis alba sæpe flores virides & inodoros, caryophylli rubri atque pleni semen flores albos, rubros, pictos, plenos simplicesque ex eadem area producat, absinthium absque amaritie, & raphanus marinus insipidus nascantur. Enimvero non opus est hoc loco monstra allegare, & præstat potius, de *uredine* inter signa urticarum diagnostica plane tacere. Quamvis enim per hanc qualitatem tactilem cæteræ species satis bene innotescant, nequeunt tamen per eandem a nonnullis aliis, itidem urentibus vegetabilibus, & ab urticarum tamen genere longissime remotis, absque recurso ad supra memorata signa, solide discerni: cum e. g. Phaseoli Zurratensis Parkinsonii hirsuta filiqua, arida ad nos delata, cutique leniter affricta, urticæ similem dolorem, brevi transeuntem, per villos suos rufos excitet, qui proinde joci causa balsamo, quem *vezier balsam* vocant, admiscetur.

§ XII. *Secundam classem* constituit, quæ § 6, in ordine quarta est, *Urtica minor*, Plinio *Cania*, aliis *Canina*, Germanis *Kleine oder heiter Nessel / haber Nessel* dicta, itidem racemosa, sed facile a præcedentibus separanda. Cedit enim istis longitudine julorum, foliorumque magnitudine, sed colore horum magis viridante, & urendi facultate superior videtur. Est præterea utriusque sexus in eodem individuo; quatenus semina, prioribus duplo majora, in oblongis, & in vertice duabus cristis, quasi aculeis, armatis capsulis G comprehensa, cum floribus in

racemis mista, alit. Malpighius in calyce flosculorum, instar vesicæ rotundo, se, succum glutinosum, terebinthinæ non ab- similem, invenisse scribit. Nascitur hæc planta passim, quotan- nis ex semine largiter rediens, ut propterea a Trago atque I. B. ad luxuriantem pullitiem magis, quam ad vires respicientibus, *pestis hortorum* appelletur.

§ XIII. An ex tribus Americanis media etiam, ut duæ re- liquæ, ad racemosas pertineat, cujusque sexus ac indolis omnes ac singulæ existant, definire nequimus; hoc saltem ex Tourne- fortio intelligentes, per calycem quinquefolium *a*, & angulosum semen *o*, hujusque receptaculum, volsellæ *4* simile, has species a reliquis abire, adeoque peculiarem characterem præ se ferre, & *tertia classis* membra esse.

§ XIV. In quarta classi stant *Urtice pilulifera*, quarum du- as tantum species novimus, sola figura foliorum inter se dis- crepantes; dum in una albam illam racemosam referunt, in altera autem, quando adoleverunt, parietariæ similia sunt; & in juniore planta etiam majoranæ faciem habent, ut ea, verbis Raii, *Majorana Hispanica* Anglis dicatur, & incautos facile per- suadeat, eam naribus admovere; unde mordacibus ejus spiculis compuncti, risum spectatoribus excutiunt. Vocantur hæ *Ro- mana römische oder welsche Negeln*; non quidem ob *natales*, sed, verbis Lobelii, p. 223, Stirp. adverf. *propter Romani seminis majoris majorem efficaciam*. Nam proveniunt non solum pas- sim in calidioribus Italiæ, Hispaniæ, & Galliæ locis, sed in Anglia quoque, teste Rajo, sponte in plateis oppidi Iarmouth, & circa Aldeburgum, nec non in Basileæ pratis, autore I. Bauhino, pro- pullulantque etiam in nostris hortis quotannis, absque cura Hortulani, ex semine, radicibus hyeme pereuntibus. Con- veniunt cum præcedentibus ratione florendi per *racemos*; sed sunt inter *androgynos*, quo pacto a tribus primæ classis speciebus recedunt, dignoscunturque a reliquis omnibus per fructum, capi- tula

tula scil: rotunda H, five pilulas spinofas, ex octo, decem, pluri-
busve capsulis seminalibus L coagmentatas.

§ XV. Obiter h.l. notamus, capsularum atque seminum
icones apud Tournefortium non esse accuratas; illis enim figu-
ram dedit, qualem pictores cordi affingunt, cum mucro-
ne acuto, basi sulcata, & superficie circumcirca spinis obsita I,
quæ a mucrone basin versus in duo quasi hæmisphæria, vel duas
lunulas dehiscens, semen *ovale acuminatum* (ovale pointue) con-
tineat K. Sed autopsia docet, semen N non tam *ovum*, quam
conum potius, vel corculum quodammodo depressum, cum
basi plus minus rotundata, ejusque capsulam membranaceam
L, *cuneum* fere vel conum inversum repræsentare, & in basi tan-
tum elatori spinulas gerere, latera autem ejus esse glabra, ut
cum suis sociis in *sphæriculas* s. *pilas* aculeatas compingi queant.
Insident tales pilæ tenuibus longisque petiolis, ex ala foliorum
emergentibus, quibus *racemuli flosculorum* adstant. Unde pa-
tet, Tournefortium nimis generaliter in Instit. p. 534, de urticis
scribere: *embryones iis speciebus innasci, quæ flore carent*; Rajum
autem in urtica Rom. pariet. fol. *pilulas hirsutas in quosdam ve-
lut flosculorum racemos explicari* perhibendo, eas fugitivo tan-
tum oculo, aut nunquam conspexisse. Argueretur enim hoc
pacto natura erroris, quasi ὄψεσιν πρῶτον ἄγον ἀγὼν, jam præsentibus
florigeris racemis, fructum in florem resolveret.

§ XVI. Huc quoque trahuntur a J. van Rheede & J. Casea-
rio, autoribus partis 2, Hort. Malab. & a J. Commelino, in Com-
ment. quatuor frutices Schorigenam', Valli-Schorigenam', Batti-
-& Ana-Schorigenam' dicti, figura foliorum habituque hir-
suto & uredine urticis adeo affines, ut Rajus istis primum locum
inter has concedens, descriptiones ex Horto Malab. in historiam
suam transtulerit. Idque non sine turbatione manifesta ordinis
numerorum, quatenus Batti-Schorigenam', quam cum arbore
Braziliensi Pino Marcgravii, eandem esse putat, *secundam*, &

Ana - Schorigenam' *tertiam* speciem vocat, cum tamen hanc *quartum*, illam vero *tertium* locum obtinere, ex antecedentibus pateat. An Tournefortio hi frutices innotuerint, & quid de iis statuatur, incertum est; cum nullibi eorum mentionem faciat. Si dicere licet, quid sentiamus, nequiquam hos frutices inter urticas tolerabimus, nisi novum specimen discrepantis earum characteris (quem dudum *quadruplicem* hactenus observavimus) exhibere, & *quintam urticarum classem* statuere animus fuerit. Quamvis enim prima species Schorigenam', cui altera Valli - Schorigenam', excepta volubilitate, per omnia similis est, a J. Commelino *eadem genere* habeatur cum Urtica pilulifera Diosc. & reliquæ in racemis suos flores & fructus gerant, ingens tamen ubique recessus ab urticis ratione *florum, calycum, seminum*, horumque *capsularum*, deprehenditur; ut proinde non nisi ratione foliorum *urendi facultatis* cum urticis conveniant; quæ characterem harum intrare, supra § II negavimus.

§ XVI. Nolumus igitur hisce diutius immorari, ad ea potius transituri, unde, quomodo urtica non solum externo suo habitu nos lædat, sed eodem etiam & reliquis suæ substantiæ particulis insignia adversus morbos remedia suppeditet, cognoscimus. Το' ο'ι enim læsionis in ardoris sensu, ac rubedine, cuti inflictæ, consistere, nemo, ab ea tactus, ambigit, quamvis quibus medijs id fiat, adhuc nesciat. Plinius H. N. L. I, c. 15, in determinanda agendi ratione, modo *aculeatam mordacitatem, mordacemque amaritudinem* accusans, modo *sine ullis spinarum aculeis* lanuginem urticæ noxiam esse, & levi tactu pruritus pustulasque, adusto similes, excitare scribens, dubiam sui animi fluctuationem satis prodit, duabusque quæstionibus occasionem præbet: An scilicet: dolorificus effectus *ab aculeorum, ex caulibus & foliis prominentium, cutisque continuitatem dissolventium sola mechanica structura*, an vero simul ab *humore quodam acri, in vulnera projecto*, derivandus sit?

§ XVII. Priori assertioni haud obscure illustris Leopoldinae Societatis Praeses favet, dum in Scholio ad obs. 25, dec. 2, Ann. 2, de urtica sicca naribus foeminae, haemorrhagia earum laborantis, cum successu intrusa agentem, ita differit: *Scio equidem esse, qui Succum urticae causticum, acrem admodum & venenosum venditant, vim ejus urendi eapropter eidem imputantes, quam recentior per microscopia observatio confirmare nititur, succum istum in cutem, a spiculis impulsu lasam, per eorundem in extremitate videndum foramen instillari perhibens.* & paulo post: *Verum, uti urtica urendi vim spinulis acutissimis, in planta ista occurrentibus, post celeb. D. C. Bauhinum, exc. D. Chr. Langius in diss. de Morbill. egregie adseruit, ita flaccescentibus istis, aut tritu fractis & conquassatis pungendi vim adimi, sicque tuto ad compescendas narium haemorrhagias adhiberi, non est mirum: Succus enim ille, linguam si judicem admittamus, ab imputata acredinis culpa immunis omnino deprehenditur, lenemque potius aliqualem adstringendi, non corrodingi facultatem obtinet, in spiculis autem dictis licet microscopiorum ope cavitas revera occurrat, succum tamen in eis, qui quidem in basi eorum vesiculae in modum ampliata stagnet, reperire non potui, uti neque foramen illud, extremitati innatum, microscopia mea, licet alioquin non contemnenda, detegere valuerunt, a melioribus forte manifestandum.*

§ XVIII. Nec deest analogia, sententiam hujusmodi non leviter corroborans; quando Cleyerus, l. c. obs. 7, p. 20, eos refutaturus, qui ex vesicula, radici dentis serpentis adnexa, virus lethiferum in vulnus manare statuunt, exemplum famuli sui allegat, qui caput serpentis maximi repurgans, cum digitum dente majore, per coctionem cum aqua calcis vivae, *ab omni gingivarum substantia* dudum liberato, fauciarum, iisdem symptomatibus correptus fuit, quae vivi animalis morsus excitare solet. Quod phaenomenon ita quoque movet Mentzelium, ut in Scholio, p. 22, anceps sit, num vulnus, dentibus viperinis acutissimis inflicto, sive *veneno instillato*, sive *subtilitate sua exitum cruori denegante*, sive *utroque modo mortalia inferat symptomata.*

§ XIX. Alteram quaestionem suam faciunt Hookius,
Mi-

Micrograph. obs. 25, Borellus, in obs. microscop. Malpighius, Thef. botan. p. 67, Hoffmannus, in Clave Schroed. p. 567, Leeuwenhoek, Epist. Contin. p. 107, et alii, qui nobisum nudo pariter ac armato oculo & *cava urtica spicula*, & *humore* quoque *repleta* viderunt, idque non tantum, ut Leeuwenhoek loquitur, in *florentissimo florendi statu*, sed etiam cum teneræ adhuc plantæ sunt, donec per ætatem iterum marcescunt, aut succus inspissatus fundum petit. Operæ pretium duximus, icones aliquot ejusmodi spinarum exhibere, tam *curvas*, o, p. ut apud Leeuwenhoekium extant, nimisque angustis & rugosis vesiculis insidentes, quam rectas, sub lit. O, P, Q, R quales sese, in O & P cum adhuc vigent, in Q & R autem exsiccata oculis ingerunt, observata simul vesicularum justa amplitudine, quater scil. minimum spiculorum capaciratem superante. Substantia earum videtur membranacea, figura acuformis sive conica; haud vero triangularis, ut plerique volunt, multo minus tricuspis, ut non nemo loquitur, suntque ipsis spinis molliores, & breviter pressæ statim eructant per apicem aculei guttulam limpidissimi laticis, ut gustari, & ad experimenta impendi queat. Remittente pressione vesiculæ, retrocedit subinde guttula in canalem, manifestumque indicium præbet hujus cuspidem *biare*, sed forsan latera ejus, nisi a succo diducantur, ita connivere, ut nonnullis impervia visa fuerit; qui proinde eam, cuti infixam, frangi debere putarunt, ut contentus liquor inde in vulnus effluat. Quod si expressa guttula non retro cedit, nec per motum plantæ decutitur, tunc exsiccata relinquit circa marginem cuspidis suas moleculas salinas, ut ab his urtica etiam arida, tanquam telum veneno imbutum, ardorem in cute excitare possit.

§ XX. Oritur igitur *dolor*, & *rubor*, atque *tumor non a solis aculeis*, autore Langio, l. c. *nervosas partes vulnerando, Archeum s. spiritum insitum partis læsæ statim irritantibus & accendentibus ut ad ejectionem spinularum, in cute relictarum, cum spiritu influente sang-*

sanguinem ad effectum locum, ibique, per excitatam fermentationem pustulas cum ardore generet; &c. sed quod in apibus, scorpio, & viperis locum habet, *potissimum a liquore aculeorum salino sulphureo* admodum elastico, atque subito humores in puncta partis poris fermentante: quem licet nec cum alcali, nec cum acido congregi viderimus, linguæ tamen eum *urinosis* quid impressisse, chartam *cæruleam flavedine* tinxisse, & *recenti vulnere digiti instillatum*, acres dolores excitasse, adhuc probe meminimus. Exhibet analogum *scabies*, cujus causam Helmontius in falso contagiosoque ichore, proprietatem *pruritivi & urticialis salis* habente, consistere scribit, de Lithiasi, cap. 9, § 24, p. 75. Huc facit, quod, verbis Hoffmanni in Clave, si *liquor ex spiculis exprimatur*, *urtica sine metu urendi tangi possit*, unaque & eadem spina ad *repetitam* compunctionem cutis adhibita (ut ter quaterve interdum absque fractura ejus fecimus) & tandem succo exhausta, non magis urat, quam in arida urtica solet, quæ paucas adhuc exsiccati succi moleculas vulnere inferens, majorem quidem dolorem, quam ab ejusmodi tantillo telo provenire posset, excitat, sed longe mitius tamen fervet, quam si fluido adhuc succo turgeret, eumque guttatim vulnuscule inflicto instillaret.

§ XXI. Quando jam quæritur: *cur urtica*, more ferociorum gentium, crudeliter imperantes melius, quam mansuetos tolerantium, *manibus, eam blande & cum mora quadam contrectantibus, infensor, quam subito duriterque comprimentibus esse soleat?* respondet equidem Bodæus a Stapel, in notis ad Theophr. lib. 7, c. 7, p. 815, lanuginem duriusculam in superficie ab impetuosa compressione corrumpi, ut nocere desinat, simulque a frigore succi, ex planta expressi, ardorem excitatum subito obtundi: sed non venit viro doctissimo in mentem, id ipsum jam in quæstione esse, quomodo spicula sine dolore queant conteri? deinde nec semper succum herbæ exprimi, nec, si omnino simul extorqueretur, ejus *frigiditatem* in ardore restingvendo potentiores fore, quam

quam nitri atque glaciei, nullatenus confestim ab urtica ustis opitulantium, esse solet. Propius igitur ad scopum videtur Leeuwenhœk accedere, quando l. c. data opera urticas attingentes, manum digitosque ita componere scribit, ut spicula urticæ non nisi cutem volæ duriusculam, neutiquam autem mollem dorfi ejus, aut interstitialem digitorum ferire queant. Præstat etiam aliquid constrictio pororum incurvatæ manus, animique præsentia, leviculas puncturas non valde curans, adeoque minus sentiens.

§ XXII. Fuimus in recensione *lesionis*, ab urticarum aculeata superficie metuendæ, justo prolixiores, hinc quænam ex eadem in bruta non minus, quam homines *utilitates* manant, concisiori oratione exponemus. Vocant Chirurgi *Urticationem*, quando partes corporis recente herba, & imprimis Romana, reliquis urentiori, cæduntur, ut incalescant cum rubore. Inter Veteres Celsum primum fuisse, qui lib. 3, c. 27, *paralyticorum cutem urticis exasperavit*, autor est Epiphanius Ferdinandus, Histor. 46, p. 140, pro sua ingenuitate DEUM testem efficaciam hujus remedii, plurimis resolutis, post corporis decentem purgationem, nunquam non salutaris, citans. Consentit ipsi totus chorus Practicorum, ex quibus h. l. Riverium, Pr. lib. 1, c. 5, Rolfincium, O & M. Med. consult. lib. 2, conf. 19, illust. Wedellium, Præceptorem & Patronum nostrum devenerandum, Amœn. m. m. lib. 1, sect. 2, c. 6, nec non D. D. Præsidis diss: de *Ægroparalytico*, manifeste sensum tactus inde recuperante, allegare sufficiat. Quid in *letbargo* crurum Urticatio valeat, ap. Plinium, H. N. lib. 22, c. 13, & Aretæum lib. 1, c. 2, de cur. acut. p. 149, legi potest. Eandem nonnulli in parte, a profluvio sanguinis remotiori, ad *revulsionem* adhibent.

§ XXIII. In *malo ischiadico* refert Hoeferus, Herc. med. p. 270, *Matronam medicatricem*, & D. D. Lanzonus, Eph. Germ. Dec. 3, Ann. 1, obs. 34, *Rusticum* loca, per urticas rubefacta & dolent.

lencia, spiritu vini, aut vino albo generoso abluentes, adstantium obtinuisse admirationem. Sed non opus esse arbitramur, si omnino propria experientia destitueremur, medicastrosum miracula allegare, quæ certe Practicis dogmaticis quotidiana sunt: quatenus hi, quamdiu recentes urticæ haberi possunt, eas applicant, hyeme vero per vesicatoria atque fonticulos adversus dolentissimum istum affectum, pugnant. *Qui uterum prolapsum & propendens intestinum rectum urticis feriunt*, ut intro fugiant, autores audaciæ suæ, præter priscos, Dioscoridem, Plinium atque Avicennam, etiam J. Bauhinum, H. Pl. lib. 30, c. 69, p. 446, G. a Turre, H. pl. lib. 2, c. 73, p. 465, nominant: quos tamen nos non magis imitabimur, quam a *podagra aut arthritide rubentia loca*, spe evocationis materiæ peccantis ad exteriora, urticantes; cum sciamus, hæc non semel malum ulterius irritasse & inflammatione nocentissima auxisse. Est enim urticatio remedium quodammodo crudele, a quo D. D. Præses non minus, ac a vesicatoriis, ipsaque scarificatione quosdam delicatioribus doloribus, ad animi deliquium & convulsivos tremores acerbis, subjectos fuisse vidit.

§ XXIV. Perfricent itaque, ut ex Aristotelis lib. 3, c. 20, Hist. animal. audimus, pastores caprarum harum ubera, donec post cruorem atque pus etiam lac emulgeant; nos certe nemini hominum, ut in se tale quid admittat, autores erimus; quamvis Albertus Magnus, lib. de Animal. c. 3, se hoc modo sæpius in mulieribus lac productum vidisse scribat. Cum vero bruta per genitalium urticationem ad coitum incitentur, tentari posset eadem in *viris frigidis*, qui ab uxoribus, ante expetitur coitum, non nisi virgis cæsi, ad prælium armantur, adeoque sua voluntate coacti cum spe voluptatis vapulant. *Habet enim, verbis Portæ, lib. 4, Mag. nat. c. 26, urtica in generationis partibus movendis atque excitandis, nescio quam vim, ut ea quoque gallinarum & gallorum pectoribus (deplumatis) verberatis aut confriatis, glouitare*

eos statim faciat, atque ova in cubare, aut pullos recipere & fovere cogat.

§ XXV. Ne vero doloris impatientes absque solatio dimit-
tamus, svademus, ut quamprimum data opera, aut impruden-
ter ab Urtica istsi sunt, antequam ad remotiora remedia confugi-
ant, mox lædentem herbam quovis modo conterant, & expresso
inde succo sese oblinant, qui ille ipse est, de quo loquuntur, om-
nem urendi vim solis aculeis, nihilque latici eorum vesiculari
tribuentes, quando, ut § 17 relatum legimus, urticæ succum a
*culpa acredinis immunem, lenique potius aliqua adstringendi facul-
tate præditum esse ajunt.* Pollet enim particulis *gummosis, terreis,*
& *sale quodam nitroso,* & temperat equidem ardorem, sed tollit
eum neutiquam acutum, quod nec reliqua etiam vulgo com-
mendata auxilia, scil: lini, olivarum, hyoscyami, albumen o-
vorum, cortex medius sambuci, succus nicotianæ, lactucæ, por-
tulacæ, & frigidæ gleba, O, &c. præstare valent.

§ XXVI. Ex allatis succi expressi qualitatibus jam judicare
licet, quo jure Urtica ab Avicenna & Fernelio, lib. 5, de m. med.
c. 25, aliisque, inter herbas in *tertio gradu calidas* referatur, a Ga-
leno autem, Dodonæo atque Chabræo, *primus tantum caliditatis*
gradus ipsi assignetur: quatenus scil: isti a superficie, & succo
spinarum calidissimo, ad totam plantam argumentantes, non co-
gitarunt, in contusa, cocta, aliisque modis examinata urtica nil
excessivi inveniri, modicumque illud acre spiculatorum, per
contusionem cum reliquis totius substantiæ aquosis, gummeis,
olis, & visque particulis permixtum, prorsus ab his dilui &
obtundi, ut *sapor austeriusculus, levissime amaricans,* virtusque
modo *aperiendi & abstergendi,* humorumque fluxum promo-
vendi, modo *temperandi sanguinis motum p. n. atque cobibendi*
pro re nata, & applicationis ratione, inde fluat.

§ XXVII. Percipitur autem hæc *contrarietas affectuum* non
solum a *distinctis partibus* hujus plantæ, quatenus scil. semen,

majori salium, magisque a terra expeditorum copia, quam radix & herba gaudens, ad resolvendi stimulantique scopum sese activius illis gerit, adeoque suo merito a Veteribus secundo gradu calidum & siccum æstimatur: Sed etiam una eademque radix, idemque folium, & succus idem morbis diversis, & a discrepante causa ortis, opponi solet, ut ex sequentibus patebit, quando phænomena, circa motum sanguinis se inde exerentia, in scenam producentur.

§ XXVIII. Notum enim est, quantam semper spem Medici in urticam adversus *excretiones sanguinis* collocarint, ut a recentioribus, Carolo Musitano, Chir. theor. pr. Tom. 2, c. 33, p. 152, & Theoph. Boneto, Thesaur. med. pr. Tom. 1, lib. 2, c. 49, § 76, pro *remedio specifico* earum habeatur. Hinc in hæmorrhagia narium herba viridis & sicca, nec non radices conquassatæ, & succus turundæ illitus, aut ad consistentiam solidiorem inspissatus, ipsis tuto ingeruntur: ut proinde singularis Eucharii Roslein opinio, Herb. p. 303, quasi *minoris urtica succus sanguinem ex naribus eliciat*, neminem ab ejus usu absterrere debeat, cum hic præ reliquis a Schroëdero contra narium cruentationem commendetur. Sunt, qui eundem succum cum *fuligine*, aut pro interno externoque usu cum *stercore asinino* miscent, ut in Amœn. mat. med. lib. 2, f. 2, c. 19, p. 507, magni Wedelii legimus. Roder. a Castro, uniu. mul. morb. med. p. 2, lib. 1, c. 5, Eman. Vaczium, septuagenarium, sæpe narium hæmorrhagia divexatum, semper ficcata asini excrementa, succo urticæ imbuta, secum in capsula, tanquam remedium, sibi simile non habens, gessisse scribit. Idem præstare *radicem ore detentam*, autor est, post Riverium, Stokerus prax. aur. *de collo suspensam*, Petrus, Nosol. Diss. 22, § 29, p. 231, *herbam sub axillis gestatam*, Tabernæ montanus, *succum temporibus & fronti applicatum*, Diosc. Plinius, Bauhinus, Ruellius &c.

§ XXIX. In *hæmoptysi* putat equidem Franc. Ignat. Thiermair, lib. 2, Consil. 4, succum non tuto in principio adhiberi; sed

tunc demum, quando, post diuturnum sputum sanguinis, pars ejus, in pectore stagnans, in pus, mature expellendum, abiit, convenire: sed innititur hypothefi de caliditate urticae, supra § 24 improbatæ, confunditque feminis & herbæ operationes: ut proinde ipsi merito aliorum experientia opponatur. Inter quos Amatus per succi quatuor uncias, diebus quinque aut sex continuis mane potas, herbamque ipsam, jusculis incoctam, ægros, a Medicis desertos, restituisse, testatur. Qualem Willifius emulsionem ex sem. rec. pap. alb. hyosc. & melon. cum decocto rad. urticae; ut & potiunculam ex foliis urticae, plantag. bellid. contufis, & cum portulacæ expressis, contra cruoris sputum paret, vid. Part. 2, S. 2. c. 7, Pharm. rat.

§ XXX. *Hæmorrhoides immodicas* in Regio Consiliario, per venesectionem, aliaque remedia haud coercibiles, Riverius feliciter per duas uncias succi urticae, levi ebullitione depurati, cum paucis saccharo, sedavit, Cent. 4, obs. 81: cujus remedii efficaciam ex aliis quoque Medicis sibi D. Tancredum Robinsonum probasse, scribit Rajus, l. c. p. 161. Cnæffelius, in app. Eph. Germ. Dec. 1, ann. 6, & 7. p. 119, laudat in hoc casu cingulum, ex *linteo urticae crudo*, (forfan ex radice texta) spermate ranarum insuccato. Verum præstat quodlibet linteum succo herbæ imbuere, vel eandem contusam in cataplasmatibus forma dorso alligare; cum hacce ratione nuper admodum, suavis D. D. Præsidis, vir consistentis ætatis convaluerit, qui antea per aliquot annos nucem mosch. atque mace, & postmodum, his non amplius juvantibus, sola tinctura antiphth. Grammanni aliquoties diuturnum, & vires admodum prosternentum fluxum, compescuerit.

§ XXXI. Cum tandem urticae folia contusa, vulnerique indita, mox sanguinem suppressere, Fernelius testetur, M. M. lib. 6, 13, ejusque succus a Riverio, Pr. lib. 4, c. 7, p. 278, miris laudibus *ad quemlibet fluxum sanguinis, ex quacunque parte prodeuntis* cohibendum, efferatur; hinc mirum non est, eundem lib. 15, c. 3, p.

444, etiam ad *fluxum mensum immodicum* laudari, & succo plantaginis, millefolii, aliisque, ibidem recensitis efficaciorum statui. Radicem de collo suspendit Wittichius ad lochia nimia; alii alia tentant, quibus facultatem plantæ traumaticam adeo manifestam reddunt, ut de ea ambigendi nullus locus relinquatur.

§ XXXII. Quamvis enim in contrarium ex Fernelio locus, supra § 24 tactus, allegetur, ubi *urtica acris, & tantum abstersione valens* dicitur, ut *ventrem subducatur, renes infarctos expediat, calculosq; terat*, adeoque minime pro ischama sese gerat: *virtuti autem menses nimios sistendi*, ejusdem *emmenagoga* opponatur, & post Dioscoridem, ab Avicenna, Bauhino, Quercetano, aliisque *eam*, sive cum myrrhæ modico bibatur, sive cum eadem trita utero imponatur, *menses evocare* asseratur; Alpino item teste, Ægyptiæ mulieres nil habeant, quo magis uterum excalefacere, mundare, & ab obstructionibus liberare soleant. Salva tamen manet antecedens thesis; pro cuius vindicatione veteres quidem ad *virtutem* quandam *propriam & occultam qualitatem* provocabant, & ab ea heteroclitos ejusmodi effectus derivandos esse, dictitabant; quibus & recentiores suum calculum eatenus, & sub certa limitatione addunt, quatenus ante omnia supponunt, hæcenus *non de seminis, sed herbae potius ac radicis* sanguinem sistendi vi sermonem institutum esse: deinde sæpenumero *causæ fallaciam committi, primariamque cum secundaria, & per se influentem*, cum ea, quæ *per accidens* concurrat, confundi, & præterea nec *omni tempore*, nec in *quolibet subjecto* effectum promissis respondere. Hinc quamvis urtica particulas valde heterogeneas, *aquosas* puta, *diluentes*, deinde *terreas, gummosas, obtundentes* atque *temperantes*, & denique *salinas, ☉sas, sulphureas, resolventes, abstergentes & aperientes*, obtinet, & harum beneficio diversa & contraria phænomena exerit; æque ac rhabbarum & ipecacuanhæ solent, quæ in eodem ægro dysenterico *sulphureis salinis* suis particulis sedes vomitusque excitant, *gummosis* vero atque *terreis* dolores & ex-

& excretionem tollunt: potissimum tamen, ob *variā dispositionem obiectorum, & peculiarem crasin sanguinis*, reliquorumque humorum misturam, tot difformium operationum causa evadit. Prout scilicet secundum vulgatum illud axioma: quodlibet agens, non pro suæ activitatis ratione, sed pro patientis ad recipiendam ejus actionem aptitudine, operatur, adeoque sol, duram ceram molliens, molle lutum indurat; camphora membra frigida calefacit, & inflammata refrigerat; optimum vinum hos lætos & jucundos, illos tristes & morosos, trucesque istos & contentiosos reddit,

§ XXXIII. Quibus ita fusius in genere expositis, nullo labore recitatarum restantiumque urticæ operationum speciales causæ inveniri poterunt: ut proinde satis fuerit, levi brachio singularum ejus partium commoda, in *culinam, pharmaciam, chirurgiam, remque domesticam* redundantia, expendere.

§ XXXIV. Antiquos herbam in cibum assumpsisse, iisque, pro istorum temporum frugalitate, jucundum fuisse, ocimo & urtica sese recreare, legere datur ex Verg. Marcello, apud Dorstenium, in Botan., quadratque huc ex Persii sat. 6, (nisi piscem forsan intellexerit.)

— *mibi festa luce coquatur urtica.*

Alias evadunt novellæ plantæ summitates medicamentosæ, quando, ut Rajus scribit, l. c. Matronæ Anglicanæ eas cum foliis, primum erumpentibus, verno tempore jusculis incoquant, ad *sanguinem depurandum*. Si vero prius aqua leniter coctæ, cum O & aceto assumuntur, *vomitum excitant*, ut turiones sambuci solent, teste Steechio, Art. med. lib. 6, c. 55, p. 36, solvuntque alvum, secundum Schroederum, & utrumque quidem cum euphoria, ut ex Fernellii lib. 5, c. 13, de M. M. patet: *Urtica oxymelle, rapbano domestico, & peponis radice aliquanto acrior, non modo e ventriculi capacitate, sed partibus quoque ei vicinis crassos humores evocat, ac facile minimoque labore vomitu pellit, nec calore, nec acrimonia quicquam offendens.*

§ XXXV.

§ XXXV. Poterit hoc pacto recte *alexiterium cicuta & byoscyami*, nec non *cerussa & fungorum* a nonnullis salutari: quatenus assumpta nocitura per vomitum expellit. An vero cum energia sufficiente a Nicandro, Apollodoro & Quercetano venenis serpentum atque scorpionum, & a Dioscoride canis morsibus, gangrænis item, & carcinomatibus, sordidisque & cacoethicis ulceribus, nec non luxatis, panis, parotidibusque &c. opponatur, aut inter morbillos & variolas expellentia remedia, absque periculo turbationis conatum naturæ, a Schroedero, in tumultuaria virtutum recensione, & Sam. Mullero, in Vade mecum botan. p. 890, referatur, merito dubitamus, nec, præsentibus efficacioribus, in proletario ejusmodi pharmaco acquiescimus.

§ XXXVI. Apud Hippocratem, lib. 2, de diæt. § 27, edit. Linden. stat urtica inter τὰ ἀγρία λάχανα, *olera sylvestria*, & subnectitur immediate una cum scolopendrio, mentha, feseli, caucalide & hyperico τοῖς χυμοῖς διγνημοῖς, crethmi scil., apii, allii &c. Hinc quamvis a Foësio, Sect. 4, p. 360, per mutatam interpunctionem, ea cum suis sociis mox ad sequentia διαχωρητικὰ, καὶ καθαρτικὰ, cicer puta, lenticulam, hordeum, betam &c. deiiciatur, horūque proprietates ab ipso Hippocrate in antecedentibus lineis expositæ, in ipsam magis, quam diureticorum notæ, ibidem recitatæ, quadrare videantur, sumus tamen persuasi, Lindenium Coi mentem clarius quam Foesium perspexisse, cum ipse Dioscorides foliis coctis, præter vitutem *album emollicendi*, etiam *urinam movendi*, aperte tribuat, & per sequentium seculorum experientiam tota planta in classem medicamentorum, calculum *imminentem prohibentium*, *præsentemque resolventium* transierit; dum Medici hanc virtutem ex insigni ejus abstergendi, materiamque viscidam, tartaream & sabulosam, cum euphoria & levamine ægrorum, per urinam educendi potentia, concludentes, eam passim a tartaro calculoque afflictis commendarunt, ut hodie non tantum in una alteraque Serenissimorum Principum aula, sed etiam ab aliis personis folia loco thee usurpentur: idque optimo consilio, cum hac ratione crassiores impuritates chyli per album,

& subtiliores per vesicam educantur. Tabernæmontanus pro-
pinat ℥i flosculorum cum vino rhenano calefacto. Leviathan
Rabbi, citante Heurnio L. 2, Meth. ad prax. p. 191, miscet succi ur-
tic. græc. ℥iib, cum ꝑ amygd. amar. ℥j, vin. rhen. ℥ib, præsentif-
simumque auxilium ex hac potiuncula ter quaterque ægro obla-
ta, non sine ratione pollicetur.

§ XXXVII. Postquam Dioscorides urticam, cum ptisana
coctam, etiam *vitiæ pectoris extrahere* scripserat, herbam modo
solam, modo cum semine & radice sumtam, apud Plinium, Gale-
num, Avicennam, Bauhinum, Scribonium, Sennertum, Querce-
tanum, Rolfincium, a Turre, Musitanum aliosque plurimos, sub
varia, conservæ, trageæ, infusi, decocti, sirubi &c. forma, pro tussi,
asthmate, orthopnoea, ipsaque phthisi, imo pleuritide & peri-
pnevmonia laudatam deprehendimus, prout scil. vel digerendi
& resolvendi, vel temperandi & evacuandi necessitas ejus usum
indicarunt.

§ XXXVIII. Propter multitudinem enim suarum qualita-
tum, non solum tot recensitis malis apta est, sed ad aliorum insu-
per mitigationem utilis evadit. Unde Bayrus de morb. distinct.
1, tract. 5, c. 3, ad *epilepsiam*, a succo melancholico dependentem,
inde levamen petit. Christ. Wirsung, Herb. part. 1. c. 9, p. 120,
succum *auribus, vermibus scatentibus*, instillat, simulque radicem
comedendam exhibet, extemporaneum inde effectum spondens.
Non tantum, qui ex *signatura* vires medicamentorum æstimant,
ex colore flavo, quo radix, cum ovis & linteis cocta, ea inficit,
hanc ad *ictærum* idoneam censent, sed alii etiam ad elementa ejus
magis attendentes, eam ob facultatem aperiendi in hoc affectu
expetunt. Ex multis formulis unam adducemus minime arti-
ficiosam, quam Willisius celebre Anticætericum Gesneri vocat,
Ph. rat. p. 2, f. 2, c. 1, p. 146, ℞. rad. urtic. maj. ℥j, Croci ℥j, contun-
dantur probe, & cum vino albo extrahatur tinctura, dosis ℥iij,
mane per 4 vel 5 dies. Legitur idem remedium apud Tabernæ-
mont. p. 922, & in Jonstoni quoque Synt. univ. med. pract. lib. v, p.
970, sed suppresso autoris nomine, & sine ulla dosi, & modo utedi

§. XXXIX. Idem Ionston ponit inter *magica remedia*, quando icterici, quotidie in urticas virentes mingendo, reconvalescunt, quam primum hæ exarescunt. Quorsum etiam modus *eventum morbi* hariolandi pertinet, quando Durantes ex urticæ, recenter evulsæ, & per viginti quatuor horas in ægroti lotio asservata constante viriditate vitam, ex mutato autem ejus colore, grave periculum, & mortem prænunciare, jubet. Certius his signum superstitis vitæ Tabernæmontanus ex *rubedine* sumere docet, si eam hominis, sine sensu & motu jacentis, urticis cæsæ partes induunt, mortis vero, si pallidæ manent.

§ XL. Pro *lienosis* miscet Dioscorides urticam cum cerato, fiuntque inde fodus & cataplasmata pro *apoplecticis & paralyticis*, nec non *articulorum doloribus* vexatis, adiiciendo adhuc alia, singulis affectibus convenientia, quæ ap. Cardanum, Heurnium, Sennertum, Ioh. Schenkium &c. videri queunt. Sic pro *febr. intermitt. fugandis* a Theoph. Eresio, Nicolao Nicolo, cap. de Tertianâ, Langio L. 1, Ep. 53, Cratone lib. 5, Conf. 26, &c. nunc radix sola, nunc folia, sale, meliloto, sem. papav. albi & nigri mista, temporibus, carpis atque pedibus alligantur. Gargarismata *ad uvam, ex inflammatione tumentem*, laudat Dioscor. ex succo; quæ alii ex aceto prorenata, aut vino, cum radice cocto, parant. Sennertus, omisso aceto, retinet vinum, additque urticæ herbas adstringentes, & radicem pyrethri atque zingiber, pro *uvula & gingivis firmandis, sordidis oris ulceribus* extergendis, *orisque foetore* corrigendo. Ingreditur igitur herba nostra etiam Aquam I. B. Portæ, a Musitano. Trutin. med. chim, lib. 1, c. 36, p. 355, valde laudatam adversus *mobilitatem dentium*; quorum *dolorem* Riverius lib. 6, c. 1, decocto, ex radice & pauxillo N Mosch. atque croci cum aceto & vino concinnato, & calide in ore detento, vel ficibus, pane, foliisque urticæ simul in cataplasma contusis, maxillisque admotis, mitigare studet. Heurnius, de dent. morb. p. 502, imponit ipsis dentibus *urticæ cineres* cum succo porri, quos novimus hodie a nonnullis, ceu singulare arcanum, in petium ligari, ut inter dentes contineri queant. Forestus succum herbæ cum □

pueri mistum, & *utero ulcerato* injectum, cum mirifice purgare tradit, obs. 48, lib. 22.

§. XLI. Non minorem hactenus relatis virtutem quondam aquæ, ex herba per vesicam destillatæ, adscribebant; quod tamen impossibile esse, facile cognoscet, qui particulas salinas atque Δ eas urticæ fixiores esse, considerabit, quã ut rudi ejusmodi opere ultra alembicum transeant; quin potius, post expressionem validam capitis mortui, & ulteriorem brodii inspissationem, in rob ingrati & amaricantis saporis abeant, simulque & concretum quoddam tartareum, sive sal essentialè, ut vulgo vocant, præbeant, minime speciosum aut crystallinum, ut ex acetosa, aliisque valde sapidis herbis venit, sed lutosum fere, & exiguis spiculis ornatum. Quod si vero herba tota contusa, & post aliquod dierum fermentationem, cum affusæ aquæ s. q. vesicæ, vel sine peregrino humido B.M. traditur, prodeunt liquores sapore suo acri atque odore (ab initio hæcibus infumatis fere simili, lapsu temporis autem gratiori evadente) salis sulphurisque resoluti præsentiam testificantes, adeoque in multis quidem a nativâ plantæ indole recedentes, nec ad sanguinis fluxum amplius impendendi, sed ex adverso ulcera sordida & cutis vitia abstergendo, obstructions viscerum aperiendo, sudoremque & urinam ciendo, ipsi multum superiores.

§ XLII. Post Romanas, præstat ad has operationes urtica minor, cujus rob non adeo saporis abominabilis existit, ac majoris: Cum contra ea hujus radice decoctum per inspissationem saporem subdulcem, & nescio quid violaceum referentem acquirat, virtutis egregiæ & matri suæ conformis. Extrahitur inde facili negotio per Ψ tinctura rubella, blanda, pectoralis & diuretica, pro lubitu cum aliis miscenda.

§ XLIII. Oleum æthereum ex herba fermentata nec expectavimus quidem: ex non fermentata autem contenti fuimus vidisse miculas quasdam oleiformes, liquori innatantes, non nisi per apicem digiti capiendas, lingvæque non æque adversas; si vero radix sicca in retorta vitrea calore forti urgetur, fundit ab

initio

initio liquorem aquosum, quem alius acris, nebularum forma maxima ex parte prodiens, sequitur, cum oleo duplici, uno supernatante fusco, altero fundum petente nigro, & salis volatilis moleculis, parietibus excipuli affixis. Est horum omnium odor empyreumaticus, & F i oleo gravior, sapor linguam diu mordicans; ut proinde nil minus, quam urticae qualitates, si diuresin exceperis, possideant.

§ XLIV. Caput mortuum nigrum, leve, per ulteriorem calcinationem in cinerem redactum, longe minorem molem salis fixi offert, quam radix, eadem quantitate aperto igne combusta solet; ex qua, ut & ex herba ipsa notabilis istius quantitas colligi potest. Album hoc fit & scintillans, si per repetitam solutionem & coagulationem depuratur, ut quod hujus generis salia faciunt, acidum morbosum in primis viis obtundendo, viscidas cruditates resolvendo, alvumque nonnunquam & urinam citando, plurima commoda hypochondriacis, & scorbuticis, acore justo nimio humorum onustis, praestet, retineatque hoc pacto *salis stomachici* dignitatem, a nonnullis ipsi obtrusam, si, ut in pulvere Birkmanni fit, aliis absorbentibus, incidentibus & aromaticis miscebitur, ubi quantum in se est, acorem vitiosum temperabit, reliqua autem ingredientia circa calorem vitalem, tonumque & fermenti vigorem occupabuntur.

§ XLV. Non possumus non hoc loco varietatis figurarum, quibus frigus in lixivis vegetabilium congelatis ludere solet, meminisse, dum schemata plantarum crematarum, earumque partium subinde adeo nitide adumbrat, ut ea spectantium animis, nescio quam opinionem de virtute seminali, ideoque totius concreti, in ejus cinere & Θ e fixo latitante, ingenerent. Memorabile est inter alios, non superficialia eruditionis viros, etiam Quercetano talismodi phantasmata illusisse, ut debile lixivium, ex urticae cinere tractum, & per noctem in testa a frigore in glaciem constrictum, mane videns, verbis Helmontii, § 12, Tr. Pharmacop. ac Dispens. nov. p 438, miratus exclamaret: *Eben frondium urticae figuram in glacie conspicio! gavisusque axioma fundaret:*

quod in cinere ens seminale figurativum herbarum, ignibus inditum, permaneret.

§ XLVI. Quales harū frondiū, in [glacie depictarum, facies fuerint, cum nec Helmontius, nec ipse Quercetanus scripto reliquerint, lubet eas, quæ nostris oculis præterita hyeme plus simplici vice, distinctisque temporibus constanter, lit: S, T, V, in lixivio, X, autem in decocto herbæ sese obtulerunt, exhibere, quibus bina melissæ num. 1, 2, & totidem betonicæ, no. 3, 4, atque salviæ no. 5, 6, archetypo satis bene respondentia schemata, in aquis destillatis visa, una cum istis figuris, quæ no. 7, & 8, in hyssopi, & no. 9 in tussilaginis Vis, origini non adeo similes appa- ruerunt, subiunximus. Idque in eorum gratiam potissimum, qui Spiritum aliquem Mundi architectum ejusmodi spectaculorū faciunt; ut cognoscant, eum circa urticas, neglectis cæteris earum partibus, id quod maxime mirabile in iis est, repræsentando se *valde ingeniosum*, circa sex reliquas *solertem*, in tribus ultimis autem de pingendis, *oscitantem negligentemque* exhibuisse.

§ XLVII. Sed missa lubrica glacie, ejusque levibus umbris, ad *seminis vires*, & reliquos urticæ usus exponendos redeundum est. Colligitur illud mense Julio & Augusto, in primis Romanum, nostrate activius, quod in calidioribus regionibus natum, ad primam mansio- nem tertii caloris gradus assurgere, ajunt, cum apud nos natum, in secundo subsistat. Mirum itaque videtur, ipsum a Petro de Ab- bano, c. 50 de Venenis, adeo acre statui, ut *comestum os & guttur excoriet, & mictū ardentem reddat*, & proinde oleum amygd, dulc. lapis bezoar. & mucilago sem. cydonior. bibi debeant. Fluxit error sine dubio ex verbis Dioscoridis, quibus istud *erodentibus medicamentis admi- sceri* asseritur: unde Vid9 Vid9, Part. 2, lib. 2, c. 3, p. 339, de curat. gene- ratim, occasionem nactus est, semen inter *immodico calore nocentia, uni- versum corp9 inflammantia, ardorem in ore, gula, ventre & intestinis excitantia, eaque exulcerantia* numerare: Cum contra ea Galenus, lib. de med. simpl. recti9 latissimum vocabuli erosionis sensum perspiciens, semen æ- que ac herbam *minime vehementer calefacientem aut mordacem, sed dige- rentem potiq9 & solventem, & sine morsu exsiccantem* facultatem obtinere doceat.

§ XLVIII. Quid in pectoris affectibus valeat, ex antecedentibus liquet.

Riquet. In urina cienda, calculoque movendo reliquas urticæ partes multum superat, quacunque forma usurpatum. Encomia ejus vid. ap Trallian. L. 9, Rolincium, l. c. Frid. Dekkerum, Exercit. pract. circa m. med. Mynsichtum, Musitanum &c. Hoffmannus in clave, p. 567, jubet die Mariæ Magdal. cum ☉ ♀ ingreditur, tempore matutino semina, rore adhuc madida, colligere, eorumque in umbra siccatorum ℥iii, cum pulu. foliorum quercu tenell. & liquirit. ā ℥ii saccharique s. q. ad gratiam miscere, & singulis pleniluniis ac noviluniis ℥℥ ad ℥i pro calculo expellendo propinare. Faventing ex decocto sem. urtic. nap. ā ℥ii, rad, gram. saxifrag. ā ℥℥ c. ▽ parato, & cum nuc. perficor. ℥i, in emulsione misto, post aliquantulum somnum, *miētumque lapideum* promittit.

§ XLIX. Virtus *aphrodisiaca*, præter Medicos veteres atque recentiores etiam meretricibus innotuit, quæ, I. Bauhino teste, id amatoribus suis stimuli loco ad venerem porrigunt. Vehiculum ipsius a Dioscoride laudatur passum, sec. Æmilium Macrum de Herb. virtut. autem

Cum vino bibitum venerem semen movet ejus, (scil. urticæ)

& melius trito, si jungas melque piperque.

An ex flatulentia, actu vel potentia tali hæc virtus sit derivanda, illi definiunt, qui hanc, ex Galeno desumptam distinctionem, ventilare amant. Carminativum enim semen esse, cum ejus elementa, tum Amati cur. 95, Cent. 6 docet, ubi viro, loco genituræ flatum excernenti, inter alia, etiam illud commendatum legimus. Idem *uterum aperire*, autor est Dioscorides, unde *sterilitati* interne atque externe opponitur, apud Sennertum & passim. Purgat uterum, ciet menses, medetur *passioni hysterica & fluori albo*; de quibus vid. Hippocrates, de Nat. mul. & alii.

§ L. A *purpura* serenissimam personam urticæ semine, per 14 dies usurpato, liberatam fuisse, didicimus ex Colleg. Wedeliano de morb. extern. sect. 1, c. 1. Contra febrem intermittentem quotidianam adhibetur a Mercato, lib. 6, de febb. p. 415, in forma pilularum, quas Avicenna ex agar. & sem. urticæ ā ℥ii, cum melle conficere consuevit. Externe ingreditur clysteres & emplastra rubificantia pro *apoplecticis*, quibus Empiricus Wurtembergensis linguam fricando loquelam reddidit. Cancro inspergit pulverem Theod. Dorstenius, Botan. fol. 301, præeunte Galeno & Fernelio l. c. Oleum expressum alvum emollit, sumtum & per clysterem injectum, pellit urinam, facit ad expectorationem, instillatur auribus ulceratis, illinitur pernionibus, imo, quod mireris, labiis etiam mammisque fissis. Si ℥℥ sem. urtic. min. cum ℥ iv rad. raphan. sylv. in taleolos secti, rad. ari & pip. long. ā ℥ii (forfan ℥ii) cum vini malvar. vel

rhe.

Rhenani opt. f. q. per 14^o p digeruntur, hinc per alembicum liquor evocatur, prodit Aqua ad ariduras Hoffmanni, in Thef. pharm. S. 1, no. 8, descripta, qua lintea madefiunt, iisque membra arida bis terque in die fortiter fricantur, ut incalescant.

§ LI. Cum illustri Wedelio autore, cap. 2, de sale vol. plant. p. 11, in semina plantarum, ductu naturali, & extraneo calore vegetante solari, vis & anima quasi omnis abeat, recumbatque in his, ceu in puncto ultimo, sal volatile, inclusimus ℥xv sem. urtic. maj. & vitreæ, ubi prodiit ex balneo sicco phlegma per guttas, mox nebulosus, cum salis volat. crystallis flavis, diaphanis, absque certa figura & angulorum numero, capaci excipulo affixis, & tandem o crassum foetidissimum, quod cum ∇, u & sal. volat. confusum, pendeat ℥v, quæ salis fixi, partim ex ☉ hujus distillationis, partim ex herbæ cineribus extracti ℥x superfusæ, prævia aliquot dierum digestionem, ex cucurbita liquorem penetrantissimi odoris atque saporis, olei flavi modicum, nil vero salis volatililis largiebantur. Abierat enim pars ejus in poros phlegmatis, ut totus latex uum referret, parte altera a ☉ nigricante absorpta, ex quo per cohobationem in alembicum post uum & o elevabatur, quantitate fere majore, quam ex o prodierat, manifesto indicio, portionem olei salinum habitum induisse, ab igne & sale fixo alteratam.

§ LII. Semen urticæ minoris fundit quidem largiorem humiditatem, quam modo dictæ majoris, sed est debilior sapore atque odore: quam sine dubio reliquis speciebus multo activiorem Romana suppeditasset, si huic labori sufficiens pondus præsto fuisset.

§ LIII. Claudimus tractationem urticarum usu earum domestico. Papulares mei, inquit S. Pauli Quadr. Bot. certo experimento cerevisiæ recentis intempestivam fermentationem inhibent, eamque a tonitru defendunt, collocando in doliis urticam urentem maximam, & frusta chalybis. Sit fides penes antorem. De lineis pannis delicatis, in India orientali apud Calecutos & Goas ex urticarum cortice, diu in aqua macerato textis, & inde in regiones occidentis translatis, legi potest Lobel in stirp. Adv. An, quod nomen svadet, isti panni idem sint cum hodierno Metel vel Neßeltuch / in medio relinquimus, Mercatorum nostrorum negligentiam in cognoscenda origine mercium suarum merito increpantes. Videri possunt de hac materia Georg. a Turre Hist. plant. lib. 2, c. 73, p. 461, & Jacobus Wolffius Scrut. amuletor med. C. 2, sect. 1, p. 200.

D. S. L. H. E. G.

I. S. A.

2
GEORGII VVOLFFGANGI
V VEDELII,

HEREDITARII IN *Schwarza*/
MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS
PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORVM
SAXONIÆ DVCVM CONSILIARII ET
ARCHIATRI, THEORETICES
PROFESSORIS PVBLICI
ORDINARII,

FACVLTATIS MEDICÆ
DECANI,

Propempticon Inaugurale,

DE
SABINA SCRIPTVRÆ:

IENÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI KREBSII.



* (2) *

I. N. I.



Sapientissimus omnium me-

rito celebratur SALOMO, rex Israelitarum, tum ob alias animi excelsas dotes, tum ob scientiam rerum naturalium, & quæcunque in his ab homine sciri & cognosci possunt, unde & reconditæ huius sapientiæ in scriptis velut aureolæ passim elucent.

Ex his vulgo minus æstimari visus locus insignis est, quando ad pulchritudinem, excellentiam ac splendorem domorum describendam, si ad literam illa intelligamus, in *Cantico Canticorum cap. 1. vers. 17.* *Trabes inquit, domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra abiegna,* interprete Pagnino.

Vtut vero etiam de toto textu plura occurrant dicenda, attamen cum agatur de materia & structura ædium, de ligno non vno, sed gemino, adeoque & nomine duplici, & consequenter vsu singulorum; operæ pretium fuerit, vocare etiam hæc ad forum physico-medicum & mechanicum.

Ligna ad basim ædificiorum, ad tigna, trabes, parietes, interstitia, fundamenta, lege artis facientia, varia quidem in vsu sunt; alia tamen selecta præ aliis, seu firmitudinem spectes, seu durationem, ipsamque aptitudinem; alia ad esse, alia ad bene esse; alia ad vsum primarium, alia secundarium, ornatum ipsum. Singula facer textus accurate nominat, seu vtraque potius.

Quotiescunque vero in hoc vel illo loco variant interpretes in versione, arguari fas est, dubiam esse significationem, non enim nisi vna est veritas, in radice, reliquæ voces sunt mutuatitiæ, & succedaneæ, quid pro quo vocant medici vulgo. Quare dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Neque male hinc absolute iudicandum est, quando non genuinus, verus & vnus sensus exprimitur. Idque duplici fere de causa contingit, partim ex linguarum notione minus accurata, partim & potissimum ex ignorantia subiecti, seu materiæ ipsius, qua de agitur. Vtraque nota esse debent, & coniungi, si veritatem scrutemur accurate; sin secus, æquiuocatio emergit, nec exhauriri potest, sed dubia manet mens textus cuiuscunque, nedum mystici.

Non

Non laudabimus vocem ligni prioris **כרתי** ab aliis abietem, ab aliis laricem reddi, vnde id inconueniens emergit, si abietem & posteriori tribuas, vt frustranea resultet repetitio. Ast facile hoc diluitur, & cessat, si cedrum vertamus, quod fontibus Hebræis optime & vni- ce quadrat: maior de altero dubitatio & dissensus est, id quod præci- pue iam nostrum faciemus.

Enimuero circa vocem **כרותי** *brutina* vulgo, reuera, quod di- ximus, euenit, & exemplum habetur, non posse eluctari, qui rectissi- me etiam reddunt ad literam, ob dubiam descriptionem eorum, a qui- bus ediscere par erat, quid rei esset; quæ quamdiu latet, obscura est, nec noueris, quæ, qualis, quanta sit, vnde in deuia flectit interpretes, etiam callentissimos.

Vtraque itaque ineunda est via, consulendæ sunt linguæ, originaria & fororiantes, consulendi rei naturalis scriptores, seu ex ipsa re hinc philosophandum est; donec concordent vtraque, quo facto exopta- tus obtinetur finis. Vox **כרותים** sine dubio pluralis est, & sic plura- litatem notat, si non speciei, h. l. arborum, tamen partium, ex vna eademque factam diuisuram, segmenta plura, quod apprime vsui laudando conuenit. Singularis vero est **כרת**.

Quod si iam visamus, quomodo versa & reddita sit, facilius *ναλ' ἀρον* poterimus dicere quid non sit, & hinc *αδρα γρον*, quid sit. Communissima explicatio est *Aben-Esra*, quem plerique sequuntur, tanquam Hebræum; ille vero ex simili quæsiuit criticam analogiam. Cum enim affinia videantur **כרוש**, *abies* in plurali **כרושי** *abietes*, confudit arbores inter se distinctas, fingendo commutationem **ש** & **ת** illicitam & incongruam, nulla cogente necessitate, & relinquenda sibi distinctione necessaria, vt rei, ita & nominis, ac vice versa.

Sed nec inde negligenda est vox sacri textus, & substituenda alia arbor, v. g. *Quercus*. Ita enim vertunt Biblia *Schmidiana*: Tra- bes domuum nostrarum (sunt) cedri, ambulacrum nostrum *quercus*. Nulla enim apparet ratio, nisi quod desperando de genuina ac vera explicacione ignotum per notius nomen reddere satagamus, incerta nihilominus & sic relicta in dubio significacione, eius, de quo quæ- stio erat.

Cum ergo *Buxtorfo* ipsi memorata verosimilis sit magis exposi- tio de ligno brutino, mirum est, alios illum minus secutos, qui aliter reddidere; aut tuendæ sunt hæ partes, aut rectius aliud istis proferen- dum.

dum. Hinc optimum erit, vtrumque profequi. In bibliis polyglottis quidem non aliam reperias, quam vulgaribus dictis congruam, quamuis *Targum* seu *Chaldaica translatio* cupresso addat arceuton, (seu iuniperum,) & pinum; nil obstat tamen, quin authenticum textum, $\lambda\pi\omicron\ \&\ \kappa\omicron\iota\nu\delta$, seu fontibus aliis, Arabicis, Græcis & Latinis audeamus illustrare.

Enimvero *Arabibus* $\beta\epsilon\gamma\iota\upsilon$ est *sabina*, nemine dubitante, quæ vox etiam apud *Diodorum Siculum* refertur & extat, & varia inflexione in barathron, boraton, barython, byraton, vt solet eiusmodi casibus fieri, detorta, reuera tamen eadem. Græcis, posterioribus imprimis, vt *Dioscorid.*, *Galeno* & reliquis $\beta\epsilon\gamma\iota\upsilon$ & $\beta\epsilon\gamma\iota\upsilon\varsigma$ audit. Per syncopen & contractionem scilicet eliso o, imo, cum apud Latinos t durum, & th eodem fere sono efferantur, vltius processit detorsio, & vocales ipsæ suos, vt sic loquar, passæ sunt manes.

Adeoque factum est, vt arbor hæc, ex eodem fundamento, flexione nota huic linguæ & solenni, omnibus aliis contra, in vs, dicta sit *Plinio* *bratus*, quæ lectio correctior & genuina magis est. Loco huius vero, cum videretur hæc minus quadrare aliis vocibus Aufoniis, & ab iis abluere, per criticam, i. e. variam hinc lectionem in quamplurimis editionibus *arboris bruta* denominatio enata fuit.

Neque id adeo mirandum, si cogitemus, vel nouerimus ex hoc & aliis exemplis, qui excerpando solum occupantur, & ex autoribus magis, quam ex re ipsa sapiunt, talibus abunde velificari erroribus, confundendo homogenea, & sic entia multiplicando præter necessitatem; non aliter, ac præcones olim, qui personam hanc illam publice laudabant, nec adstantem tamen agnoscebant.

Sed audiamus iam huius census *Plinium*, quid scribat de arbore bruta, seu brato potius, vt ex MSS. collectum est, vel animaduersum & sic correctum merito, (ne dicamus, quibusdam bruten legi,) locus est *l. 12. Nat. Hist. c. 17.* Petunt, scribit, (Arabes,) in Helimæos arborem bratum, cupresso fusæ similem exalbidis ramis, iucundi odoris accensam, odorem esse proximum cedro, & reliqua. Sane omnia hæc quadrant sabinæ, imo ipsissima sic describitur, cupresso similis, & eodem autore, & omnium consensu, vnde & Sabinam - Cuprellum, verbis *Apulei*, aptissime vocant. Recte hinc *Pinetus*, interpret Gallus, selon aucuns, *est*, c'est la premiere espece de fauinier.

Quid

Quid enim est cupressus fusa, quam Sabina, cuius proprium est, omnium autorum consensu, & autopsya teste, ut in latitudinem magis diffundatur, quam in sublime elata deprehendatur, sibi relicta. Unde reuera arbor bratus, cum brathy, seu sabina, cuius *l. 24. c. 18.* meminit, plane eadem est, non alia, quicquid etiam alii contra ea afferant, neque enim alia huius generis demonstrari potest, quae de eadem praedicari possint, seu quoad nomen, seu quoad rem ipsam, affectiones, usum substratae materiae, & reliqua.

Notanter vero ex textu *Plinii* patet, illum hanc arborem non vidisse, dum ex aliis haec describit. Licet vero propius paulo illi interpretes scopo accedere videri possint, qui cupressum vertunt, optime & rectissime tamen, qui sabinam-cupressum, cupressum Creticam, vel potius vno verbo recepto sabinam, reddunt, vel persuaderi possunt, ut ita vertant.

Non possumus hoc loco, quin illud notemus, in *Concordantiis Bibliorum Germanico-Hebraico-Gracis*, insigni errore, ut nobis quidem videtur, vocem קִרְטָבִים *kirbatim* versam, & cum altera קִרְטָבִים , adeoque cedrum cum cupresso confusam legi, quod euoluenti locum mox oculis patebit.

Enimvero porro in textu sacro notandus venit usus specialis, & quidem sicut cedrus ad trabes, & tigna, ita sabina, ut nomen Latinum hodie receptum ex merito retineamus, ad laquearia, vel, ut alii reddunt, ad ambulacra inseruiit, quae facile concihari queunt, si quidem ornatum, quem praestat, intelligi, & decorem, reputemus.

Quod si itaque sequamur *LXX.* qui λακωνία reddunt, seu *laquearia*, idem emergit, ac, si verbis *Tullii* loquamur, templum vndique tectum, pulcherrime laqueatum. *Germ. Taffelwerck / getäffelte Decken des Gemachs.* Si cum *Lucilio* apud *Isidorum*, ex cedro & sabina, res tant aedesque lacusque. Notabile hinc porro est, & apud *Eresum* $\text{ἑρῶν τῶν τῶν ἐκ τῶν τῶν}$, contignationes olim verustissimas ex *Tbuia*, confectas fuisse, quae ipsissima sunt laquearia; qui locus hunc quoque sacrum magis confirmat.

Sed uti haec videntur ad literam clare satis patere, ita ex hisce fundamentis vel scitis medicis, si Christianum in morem nobis licuerit sensu mystico applicare, dixerimus symbolum hoc esse piorum ac fidelium. Quid aliud est corpus nostrum, vel esse debet, quam domus, eaque non tam animae nostrae, quam Dei viventis O. M. &

templum Spiritus Sancti? quid corpora nostra, quam membra Christi? quid ipsimet, quam domestici DEI, superstructi super fundamentum Apostolorum ac Prophetarum, cuius imus angularis lapis est ipse IESVS CHRISTVS, vt verbis Scripturæ congrue loquamur.

Cedrus ergo symbolum fit fidei, cuius excelsitas, firmitas & constantia, huc commode applicatur, hæc quippe vnice decet corda fidelium, si aduentum gratiosum, & *μονὴν, mansionem*, diuino numini & sacrosancto præbere debeant. Sabina sua humilitate & diffusione in ramos, & inclinatione ramorum in terram, amoris proximi signaculum largitur. Vtraque communi viridanti & immarcescibili colore, odore, & thynorum lignorum affectionibus aliis, precum, tanquam sacrificiorum genuinorum, spei, & reliquarum virtutum, verbo pietatis, lemmata constituunt singulis.

Ita vero totum ædificium & in indiuiduo, & communionem sanctorum in vniuersa ecclesia, congruenter coagmentatum crescit in templum sanctum in Domino, in quo coædicamur in habitaculum DEI per spiritum, vt iterum verbis scripturæ vtamur.

Cum itaque *Buxorsium, Cocceium, cogitationibus in hunc locum*, (qui reddit: tigna domuum nostrarum sunt cedri; trabes nostræ brutinæ,) & ex nostris *I. Olearium* &c. sequamur, & quid sint ligna brutina, quoad nomen & rem ipsam, hæctenus vulgo neglectam, vel ignoratam, quoad materiale & formale, exposuerimus, facile efficitur, nostra quidem opinione, hanc interpretationem esse genuinam.

Quadrare vero Sabinam, seu, si mauis, arborem bratum, eodem nomine signatam, ad laquearia, ad mensas, ad arte elaborata alia, veteribusque longe tum notissima, tum pretiosissima, partim aliis profanis autoribus, medicis, & historicis, partim autopsia & mechanica, facillimum erit vltius demonstrare.

Tacemus alia huc applicanda, & promptissime inde fluentia, etiam ad mysticum maxime sensum, quod centrum ligni huius lectissimi & incomparabilis sit rubrum, peripheria alba, & plura similia, suo loco addenda.

Præmittere hæc volumus DISSERTATIONI INAUGURALI, DE VRTICIS, Clarissimi & meritissimi Artis medicæ Candidati

IOHAN-

IOHANNIS MELCHIORIS DRECHSLERI.

Lucem primitus aspexit, anno post recuperatam salutem MDCXXII. D. V. Maii Wanslebiæ, vrbe in Ducatu Magdeburgensi sita, parentibus honestissimis; Patre MELCHIORE DRECHSLERO, Præfecto iam memoratæ vrbis, districtusque incorporati, laudatissimo, iamdudum autem ad meliorem vitam vocato; Matre omni virtutum laude ornatissima, SOPHIA, nata IÜTERBOCKEN.

Huic, post immaturum optimi Mariti obitum, multum fuit sollicitudinis, quo eum a primis statim annis, tam pietatis atque probitatis, quam bonarum artium fundamentis, Præceptorum dexterimorum ductu, imbutum redderet.

Aurigante autem fato Thuringiam veetus, cura dein ac amore paterno vere singulari, & ex ore eiusdem vix satis deprædicando fructus est Admodum Reuerendi & Amplissimi, M. IOHANNIS CHRISTOPHORI LISTII, Pastoris Vtenbachensis & Köstnizensis vigilantissimi, infimulque Dioeceseos Dornburgensis Adiuncti grauisissimi, cuius suafu, vltius progredi intendens, Lyceum Vinariense adiit, promptissimosque ibidem sedula informatione reperit Amplissimos & præclarissimos PHILIPPVM GROSGEBAVERVM, Rectorem, & M. IOHANNEM GÜNTHERVM, Con-Rectorem, Præceptores solertissimos, fidelissimosque.

Per quinquennium istic locorum commoratus, florentissimum, demum hunc nostrum ascendit Heliconem, inque ordinem Studioforum receptus, anno MDCC I. d. IX. Augusti, me Pro-Rectore, nihil prius, nihil antiquius habuit, quam vt in Philosophicis & Medicis scholis, sub ductu Virorum Clarissimorum, Nobilissimorum, Excellentissimorum, & Celeberrimorum solidos sibi sceneraret profectus.

In illis, nominatim in Logicis, ope & manuuctione vsus est M. IOHANNIS SIMONIS BURGOLDI, Facult. Phil. t. t. Adiuncti: in Ethicis & Politicis D. IOHANNIS PHILIPPI TREVNERI, Logic. & Metaphys. Professoris: in Physicis autem, Mathematicis, & Curiosis valde delectabilibus experimentis, GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, Mathematicum & Physices Professoris, cuius promptitudinem & humanitatem decenter extollit.

Medi-

Medica his, tanquam basi, superstruens, multum lucis ac commo-
di percepit e Lectionibus publicis Therapeuticis venerandi Senioris
D. RUDOLFFI GVILIELMI CRAVSI, Hered. in Mellingen, Praxeos &
Chimix Professoris, itemque Academix Leopoldinx Collegæ primarii.

Cumque nostrum etiam laudare ipsi placuerit testimonium, me-
rito laudem modesti moris, diligentix, & profectuum insignium, tam
in publicis ordinariis, quam priuatis Lectionibus acquirentium, tri-
buimus & exhibemus, seu Theoretica exercitia spectes, seu pra-
ctica, quæ sedulo frequentauit.

Deprædicat inprimis laudatissimam informationem, affectum, &
humanitatem D. IOH. HADRIANI SLEVOGTII, Hered. in Ober-Rosla,
Anat. Botan. & Chirurg. Professoris & Med. Duc. Prouincialis Saxo-
nici, quibus, tam in demonstrationibus publicis botanicis & anatomi-
cis, (quas in octo cadaueribus humanis, tribus masculinis, & quin-
que foemininis, binumero grauidis, publice artificiose dissectis, vi-
disse gloriatur,) quam priuatis, anatomico-chirurgicis, chimico-
pharmaceuticis, exercitio disputatorio, casuali practico, librorum ra-
riorum beneuola communicatione, aditu liberiori, ad selectum ma-
terix medicæ instructissimum, concesso, priuatisque discursibus fru-
ge refertissimis, ipsum beauit.

Lectionibus demum publicis, aphorismos Hippocratis & opera-
tiones selectiores Chirurgicas explanantibus, D. ERNESTI HEINRICI
WEDELI, Prof. Publ. Extraord. sedulo interfuit.

His aliisque mediis sufficienter formato & confirmato ingenii
robore, vt digno caractere præditus acquisitas dotes in proximi salu-
tem impendere possit, a Facultate nostra decenter petiit, vt in nu-
merum Candidatorum reciperetur. Admissus sufficienter profectus
suos in Examinibus probauit, vnde cathedra quoque publica eidem
adaperta fuit.

Cum ergo publice D. XXIII. Maii habiturus sit Dissertatio-
nem solennem laudatam, sub præsidio SLEVOGTIANO, vt actui
huic gratiosa & beneuola sua præsentia interesse dignentur Magnifi-
cus Pro-Rector, Illustrissimus Comes, Patres Academix venerandi,
& omnium ordinum Hospites & Commilitones nobilissimi, decentis-
sime, obseruanter & humaniter oro rogoque. P. P. sub Sigil-

lo Facultatis Ienæ, D. XXII. Maii,

M DCC VII.

(L. S.)

20897/p







